



Incipit explanatio supra scripte hystorie ecclesie in libro secundo.

**A**ngelo ephesi ecclesie scribe. Sub unius appellatione angli. omnium scorum numerum signat. Ephesi autem quod est uoluntas siue consilium in catholicam ut supra memorauimus. narrat ecclesiam cui ista loqui manifestet. Hec dicit qui tenet septem stellas in dextera sua qui ambulat in medio septem candlelabrorum aureorum. Id est qui sanctorum animas in manu continet sua et in medio ecclesiarum suarum miraculis et uirtutibus gradit et in potestatis magnitudine conuolat. Ad ipsam autem ecclesiam dicit. Scio opera tua et laborem et patientiam. Cognoscere se asserit bone operationis effectum et laboris et studii et spiritualis curam et patientiam per quam sustinet temptationem uel superat. Et collaudat puritatem ecclesie iudicio ueritatis. de qua ecclesia etiam

ysaias loquitur. Lauda sterilis que non parit decanta laudem que non pariebas. **Q**uia multi filii deserte magis quam ei que habet uirum. De cuius labore ecclesie deservitur. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Cui etiam in presenti loco dominus dicit. Et quia non potes sustinere malos homines et temptasti eos qui se dicunt apostolos esse et non sunt. et inuenisti eos mendaces et patientiam habes et sustinisti propter nomen in me et non defecisti. Hoc de hereticis sine dubio dictum accipimus. quia ipsi seductores asserunt ueritatem et sunt auctores prauis mendacibus. **B**onos se prestant et ipsi detiores demonibus comprobant. Sed mendacia eorum et peruersitatem: catholica fides inuenit. et per tolerantiam multa sibi illata: ab ipsis mala sustinuit. Hoc totum passa est propter nomen christi. nec deficit fides eius. Ipsi etiam ecclesie de hereticis dicitur: